DEI MISERATIONE ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA ARCHIEPISCOPUS MOHILOVIENSIS, METROPOLITANUS OMNIUM ROMANO-CATHOLICARUM ECCLESIARUM IN IMPERIO ROSSIACO, ORDINUM EQUES.

ARD. Vincentio Mieniecki Parocho Umanensi Nobis in Christo dilecto

Salutem.

Pro debita Officii Nostri sollicitudine, in id prae caeteris convertentes studia; ut saluberrimum poenitentiae Sacramentum eo cum fructu administretur, in quem divinitus institutum est, optimos huic ministerio Sacerdotes et singulis Ecclesiis praeficere velimus. Sed cum soli cordium scrutatori DEO, vera uniuscujusque merita perspecta sint, Nos autem homines, que hominum interiora sunt, nonnisi ex indiciis, eaque difficile aestimamus; idcirco praemissis circa doctrinam morumque integritatem examinibus innixi, Te idoneum repertum tenore praesentium ad audiendas poenitentium Confessiones in Archi-Dioecesi Mohiloviensi auctoritate Nostra Ordinaria deputamus, adprobamusque, cum facultate rite confessos et corde contritos, a peccatis in Christi nomine, impositis tam satisfactoriis, quam medicinalibus operibus, solvendi; exceptis Monialibus et casibus Summu Pontifici reservatis, ex quibus frequentius occurrentes sunt: *atrox percussio, seu violenta manus injectio in Clericum vel Monachum; Simonia realis; Alienatio bonorum ecclesiasticorum cum gravi detrimento; Provocatio ad duellum; Haeresis publica; lectio librorum prohibiorum; Absolutio complicis in peccato contra sextum praeceptum decalogi; sollicitationis ad turpia inter confitentem et confessarium, occultatio coram judice ecclesiastico, et falsa in eadem re accusatio.* — Casus porro Episcopis tam jure communi, quam consuetudine reservatos qui in Constitutionum Provincialium libro IV, titubo *de poenit, et remis.* enumeratur, ex supra recensitis, non excipimus nisi sequentes: *Omne crimen Papae reservatum, dum sit occultum; crimen lesae Majestatis IMPERATORIAE et cujusvis in Ejus vitam machinationis, homicidium in quamcumque personam deliberatum, aut abscissionem membrorum; crimen perjurii et falsi testimonii coram judicio; usurpationem pecuniae aliarumque rerum post defunctos Clericos, excepta parvitate materiae; crimen incendiariorum; omne denique peccatum notorium, ob quod publica poenitentià imponenda sit.* — Quos omnes casus modo recensitos (nisi subsecuta satisfactione, aut in articulo mortis) exceptos Nobisque vel ad id specialiter deputandis, omnino reservatos esse volumus.

№ 3144

Haec ita nomine Pastoris et Episcopi animarum nostrarum Servatoris Christi DEI, in communem omnium salutem praecipientes, hormatur Te — sicut et caeteros Sacerdotes Confessarios, ut ecclesiasticum ornatum, cum eoque omnem verecundiam, moresque castos induti, ad hoc sanctum Ministerium, optima, saepiusque renovanda sacrorum Canonum, caeterorumque theologicorum operum lectione praeparati, accedatis: inter ipsum vero Cofessionis sacramentalis actum circa ea, quae cujusque status propria sunt, Clericorum nempe, Coelibum, Conjugum, Parentum, Liberorum, Patrum, Matrumvefamilias, Famulantium, Praepositorum, Judicum, Advocatorum, Militum, Agricolarum, Opificum, Mercatorumque, praesertim cum vel rudiorem poenitentem

videatis, vel aliquod peccatum occultari suspicemini, interrogare non negligatis, prudenter tamen, ne quid nimis in hoc etiam pietatis studio sit. — Sicut enim persaepe taciturnitas poenitentis, malum aliquod in suam perniciem premit sub pectore; ita non raro loquacitas Confessari, simplicem animum inaudita docet scelera, ducitque in foveam. — Omnis igitur Sacerdos Dei, adhibita diligendi opera, circa comparandam necessariam scientiam ad hoc munus sancte gerendum, postulet sibi a Deo sedium suarum assistricem sapientiam, cujus ductu difficilem Ministerii reconciliationis viam sic percurrat, ut et alios Christo lucrifaciat, et ipse non efficiatur reprobus.

Praemissa facultas ad recursum anni 1863. inclusive valebit, cum hac adjecta conditione, quod Vicarii et Capellani ex Clero saeculari et regulari, nec non ipsi Superiores Regularium, cum locum non ad breve tempus, sed animo habitandi permutare voluerint, facultatem tam loci, quam adprobationis permutandae novam a Nobis postulare tenebuntur.

In quorum fidem praesentes literas manu Nostra subscriptas, Sigillo Officii communiri jussimus. — Dabantur Petropoli hac die 17 Mensis Decembris 1862. Anno

+ Venceslaus Archiepiscopus

26. autogr. III

1865 96

№ 1653.

JOSEPHUS MAXIMILIANUS

STANIEWSKI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS PLATEARUM, SUFFRAGANEUS MOHYLOVIENSIS, SEDE METROPOLITANA IN IMPERIO ROSSIACO VACANTE VICARIUS CAPITULARIS.

Dilecto Nobis in Christo A. R. D. Vincentio Mienicki Administratori Uszacensi

Saluti animarum pretioso sanguine Domini Nostri Jesu Christi redemptarum quantum in Domino possumus, consulere cupientes, ut liceat Tibi habili, idoneoque per examen reperto, utriusque sexus omnium Christi Fidelium (non tamen Monialium) confessiones audire, eosque a peccatis et delictis eorum, quae Tibi corde contriti et ore confessi fuerint, etiam a casibus Sedi Ordinariae, atque Papae in Bulla Coenae Domini et alibi reservatis, sequentibus tamen uti: *Crimen cujusvis machinationis in vitam MAJESTATIS IMPERATORIAE, homicidium voluntarium, violenta percussio Clerici vel monachi, perjurium et falsum testimonium coram judicio, crimen incendiariorum, atque sollicitatio ad turpia inter confitentem et confessarium et falsa in eadem re accusatio,* nisi in articulo mortis, *semper exceptis,* in forma Eclesiae consueta absolvere, absolutionisque beneficium, in foro conscientiae, injuncta illis prius, pro modo culpae, salutari, Tibi bene visa, sed nunquam publica poenitentia, impendere. Nec non ut liceat etiam Tibi dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur. Dispensare et commutare vota simplicia et juramenta in alia pia opera, exceptis votis castitatis et religionis. Benedicere paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit sacra unctio. Dispensare super esu carnium, ovorum et lacticiniorum cum infirmis et pauperibus, tempore jejuniorum et praesertim quadragesimae in foro conscientiae. Restituere amissum jus petendi debitum conjugale. Impertiri moribundis absolutionem generalem, juxta formam a Benedicto XIV. Papa praescriptam, Authoritate Nostra facultatem damus et concedimus, praesentibus Litteris Nostris hinc ad decursum 1866. anni tantum valituris. Memineris insuper, non dari Tibi facultatem absolvendi complicem in quolibet inhonesto contra sextum decalogi praeceptum peccato, atque Te respectu hujusmodi complicum, esse omni tum jurisdictione, tum approbatione destitutum, ad normam Constitutionis praelaudati Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. Papae incipientis: *Sacramentum Poenitentiae* anno 1741 editae. Monemus praeterea, ne dum alios a peccatorum nexibus liberare intendis, ipsum te implices, utque pro recta hujusmodi Sacramenti administratione, omnia, quae in Theologia tradita sunt, attente legas, accurateque observes, ac ut labente ad finem supra scripti temporis spatio, aliam Tibi similem a Nobis, statuto modo, procures facultatem. In quorum fidem etc. Datum Petropoli Anno Domini 1865 Mensis Decembris 17 die.

+ Josephus Maximilianus Eppus

mpr.

Nº 1853

Hb. autogr. III

Teologia 6907.
1867

97

GASPAR BOROWSKI

Dej et Sedis Apostolicę gratia Episcopus Luceoriensis et Żytomiriensis.

Illri ac Revrndo Dno Nicolao Deńkowicz, Canonico Honorario, Administratori Ecclae S. Nicolai Camenen., Decano Camenecensi, Salutem in Domino!

AD commodiora Christi Fidelium saluti praestanda remedia, pro Officii Nostri munere curam adhibere cupientes, ut liceat Tibi, jam alias ad audiendas Confessiones approbato, utriusque sexus Christi Fideles vere poenitentes, ab haeresi, apostasia a Fide, lectione librorum prohibitorum, ceterisque casibus tam Summo Pontifici, quam Sedi Nostrae Ordinariae reservatis, in foro conscientiae absolvere in forma Ecclesiae consueta, injuncta eis et eorum cuilibet pro modo culpae praenitentia salutari aliisque injungendis; dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae ex homicidio voluntario contrahitur; dispensare et commutare vota simplicia et juramenta in alia pia opera, exceptis votis castitatis et religionis; benedicere paramenta et alia utensilia ad Sacrificium necessaria, ubi non intervenit sacra unctio; dispensare super esu carnium ovorum, et lacticiniorum cum infirmis tantum, tempore jejuniorum et praesertim Quadragesimae: restituere ammissum jus petendi debitum conjugale, immepertire moribundis absolutionem generalem juxta formam à BENEDICTO XIV, praescriptam; authoritate Apostolica, vigore facultatum Nobis concessarum, licentiam et facultatem concedimus, praesentibus literis Nostris hinc ad decursum unum annum valituris.— In quorum fidem etc. Datt. Die 26. Mensis Octobris 1867 Anno.

N 167

Gaspar Epps

1868

Teologia 6908

98

GASPAR BOROWSKI

Dei et Sedis Apostolicae gratia Episcopus Luceoriensis et Żytomiriensis.

Illri et Adm. Rndo Dno Nicolao Demkowicz, C. H. C. Decano Camenecensi, Administratori Eccl. Par. S. Nicolai Camen., Nobis in Xto dilecto, Salutem in Dno!

Ad commodiora Christi Fidelibus praestanda auxilia, quantum in Domino possumus, sollicitudinem Nostram inferentes, Tibi per examen idoneo reperto omnium Fidelium utriusque sexus, exceptis Monialibus, et citra praejudicium alterius Parochi, Confessiones audire, eosque a peccatis quae Tibi corde contriti et ore confessi fuerint, etiam a casibus Sedi Ordinariae tam de Jure communi, quam consuetudine reservatis, prout in Constitutionibus Provincialibus lib. IV Tit. de Poenit. et Remiss. enumerantur, *Casu tamen machinationis quovis modo in vitam Suae IMPERATORIAE MAJESTATIS, tum quoque Simoniacis ob annexam et Papae reservatam excommunicationem, percussoribus notoriis Clericorum et raptoribus Decimarum, ac quorumvis bonorum Ecclesiasticorum iniquis occupatoribus, nec non rerum post vita functos Clericos usurpatoribus (nisi subsecuta satisfactione, vel in articulo mortis)* semper exceptis, qui omnes in praesenti concessione minime comprehenduntur, quinimo eximuntur ac praefatae Ordinariae Sedi reservantur; in forma Ecclesiae consueta, beneficium absolutionis in foro conscientiae impertiri, Authoritate Nostra Ordinaria facultatem damus et concedimus. Verum ut incolumitati quoque Tuae pro munere Nostro, quantum in Nobis est, opportune prospiciamus; scientes quod inter honorifica Officii Sacerdotalis munia, nullum est, quod ampliorem utilitatem populo Christiano adferat ac simul formidandam indignis licet JESU CHRISTI Vicariis imponat obligationem, quam administratio Poenitentiae Sacramenti, proinde monendum cum Apostolo ad Timoth. I cap. 4 v. 14. ac in omni charitate obsecrandum judicavimus. *Noli negligere gratiam quae data est tibi cum impositione manuum Presbiterii, exemplum esto Fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, castitate..... attende tibi et doctrinae..... Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.* Illudque Divi Bernardi in memoriam revocare: *Vae! Filiis irae, qui se ministros gratiae profitentur.* Quid enim proderit alios salvos facere, propriae salutis negotio amissionis periculo exposito? extendere manum ad alios benedicendos atque solvendos super terram, ut solvantur in Coelo, se autem manere in terra coinquinatum in anima et ligatum coram Domino: nec aliter uti ministerio reconciliationis; nisi ad propriam damnationem aggravandam? Character equidem et potestas ad peccatores bene dispositos reconciliandos DEO ubertim sufficit, verum nisi Spiritus quoque ille, quem Dominus insufflando contulit Apostolis, et hodiedum eadem via communicatur Sacerdotibus, diffundatur in cordibus eorum; in aliis accendi, multo magis conservari minime poterit. Illi quoque qui conscientiam gerunt oneratam peccatis, nec ad horum depositionem, nec ad sanctimoniae misericorditer obtentae sollicitam custodiam animabuntur, ex quo deprehenderint dispensatores horumce DEI donorum incurios in salutis negotio, ac consequenter pauperes, miseros, ac miserabiles existere. Memineris quoque permanere in iis, quae didicisti et concredita sunt Tibi, quae inquam ab infantia Tua Ecclesiastica nosti, haec quippe possunt Te instruere ad salutem per fidem, quae est in CHRISTO; atque maximam Tibi conferre utilitatem ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus. Imo etiam non pigre ea ex Apost. Constitutionibus, Decretis synodalibus, venerandae antiquitatis monumentis, universa Theologia, et quod primo dicendum erat, ex Divinis Scripturis frequenter relegere ac meditari; quae ad rectam hujus Sacramenti administrationem conducunt. Denique recorderis, *Non nobis*, Divo Paulo teste II ad Timoth. cap. 1. v. 6 et 7, *per impositionem manuum datum esse a DEO spiritum timoris, sed fortitudinis.* Unde, etsi magna charitate ac longanimitate uti Te oporteat erga miseros peccatores, minime denegando lapsis poenitentiae locum; deposito nihilominus timore mundano, respectu, ac praecipue temporali interesse, vigore Apostolico admonendos esse eos, qui licet onerati peccatis, sanam doctrinam non suscipiunt, crimina criminibus accumulant, de vitae emendatione ne quidem cogitant, denegato etiam absolutionis beneficio; Sancta enim Sanctis nonnisi dari debent, non vero profanari apud irreligiosos contemptores. Quod si contristabuntur, imo etiam contra severitatem minus juste obmurmurabunt, gaudere Te oportet cum Apostolo: non quod sint contristati, sed «quod sint contristati secundum DEUM,» nempe, ad Poenitentiam II Cor. c. 7 v. 9. Illos vero qui in dubiis signis suam poenitentiam, et ad DEUM conversionem demonstraverint, zelo Apostolico cohortaberis, quatenus cum Sancto Paulo *adimpleant quae in iis desunt passionum CHRISTI* ad Col. cap. 1 v. 24. habitaque ratione delictorum, non modo medicinalibus a relapsu cohibebis satisfactionibus; verum etiam allaborabis *Ut sicut exhibuerunt membra sua servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita abhinc exhibeant membra sua servire justitiae in satisfactionem,* ad Rom. cap. 6. v. 19. Inter caetera porro satisfactoria ac simul medicinalia opera vel maxime lectionem quotidianam, per medium saltem quadrantem horae, librorum spiritualium, tantopere saluti animarum proficuam et necessariam, poenitentibus injungere, inculcare et commendare non praetermittas. Quae ubi fideliter ad effectum deduxeris, Nostrae quoque sollicitudini levamen afferes non exiguum. Haec autem Nostra concessio, a data praesentium computando, ad decursum 1869 anni valorem suum obtinebit; eoque elapso, excipiendis Confessionibus, gravi tamen mortis periculo excepto abstinebis, verum aliam similem teneberis procurare facultatem, exhibito prius examine coram personis ad id designatis et peractorum exercitiorum spiritualium, et nullo modo aliter, idoneo testimonio; super quibus omnibus et singulis praemissis Tuam oneramus conscientiam. Memineris insuper non dari Tibi facultatem absolvendi complicem (quod Deus avertat!) in quolibet inhonesto contra sextum praeceptum peccato, atque Te respectu hujusmodi complicum esse omni tum jurisdictione, tum approbatione destitutum et prorsus ineligibilem ad normam Constitutionis fel. record. Benedicti XIV incip. *Sacramentum Poenitentiae* anno 1749 editae.—In quorum fidem, Datum Zytomiriae Die 31. Mensis Decembris

Anno 1868

Gaspar Epps.

N 1136

Дозволено цензурой 29 марта 1865 года. Кіевъ. Въ типографіи Университета Св. Владиміра.

89

1825

In Imperio Suæ Imperatoriæ Majestatis Alexandri I. Imperatoris et Autocratoris Totius Roſsiæ etc. etc. etc. Domini Nostri Clementiſsimi

Ignatius Josaphat Bulhak Divina Misericordia et Sæ Sedis Apostolicæ Benedictione Ecclesiarum Græco-Unitarum per Universam Roſsiam Metropolitanus, Brestensis Dioecesanus Episcopus, Onuphriensis in Alba Ruſsia Abbas, Collegii Romano-Catholici 2æ Partitionis Præsidens, et Ordinis Sæ Annæ 1mæ Claſsis Eques.

No. 195.

Universis et Singulis quorum interest, notum facimus: Quia Nos Divino vivifici Spiritus invocato Auxilio, Rndum Eliam Andruszkiewicz Ordinis S. Basilii M. Profeſsum, prævio suorum Superiorum attestato, de sua doctrina, morum probitate aliisquè juxta præscriptum SS. Canonum requisitis, in Ecclesia ejusdem Ordinis Poczajoviensi die 20. Septembris in Diem Dominicam incidente Anno currente ad primos Ordines et Subdiaconatum Ritu per Orientalem Ecclesiam præscripto ordinavimus ac promovimus, ac eidem Rndo Eliæ potestatem dedimus exercendi ea omnia, quæ sunt sacri Ordinis Subdiaconatus. In quorum fidem præsentes Manu Nostra subscripsimus et Sigillo communiri mandavimus. Datt. in Monasterio Poczajoviensi Die 1. Octobris 1825. Anno

+ Josaphat Metropolita

Illmi Excellmi ac Rndmi Dni Metropolitani Secretarius
P. Juvenalis Butrymowicz Ord. S. Basilii M.

Kupnem od Grzyckiego
1919

1803

101

594.
Ex Off.

Ex Consistorio Gnali Cracovien: conceditur facultas Rndo Christophoro Bawalski Presbytero Saeculari Dioecesis Cracovien: Sta Missae Sacrificia in Eccliis quibusvis etiam in Oratorijs privatis, requisito ad celebrandum Indulto provisis Dioecesis Crac: celebrandi, tum si Idem ab aliquo Parocho requisitus fuerit, in Paroecia Parochi Illum requirentis Sacramenta Parochianis administrandi, aliaq Vicarij munia obeundi & quidem ad decursum unius anni valitura. Datt: Cracoviae die 26ta Octob 1803tio anno

J. Olechowski Suffr Cathlis Crac

Eadem facultas prorogat ad decursum unius anni

Zbiór
ALFREDA BIRKENMAJERA
Sygn.......... Nr..........

Litt. ~~B.~~ E.

NICOLAUS POPŁAWSKI.

Dei et Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Livoniæ et Piltinenſis, Decanus Plocenſis et Varſavienſis, Vicarius in Spiritualibus et Officialis Gnalis Varſavienſ. et per totum Ducatum Maſoviæ.

Universis et singulis, quorum intereſt Præsentes inspecturis notum facimus. Quia Nos pro Illmo Loci Ordinario ex ſpeciali ipſius commiſſione Anno Dni Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Octavo Sabbatho Quatuor Temporum ante Feſtum SSmæ Trinitatis, id eſt, Die 12 Mensis Junii, ad Altare majus in Eccleſia Collegiata S. Joannis Baptiſtæ intra Miſsæ Sacrificium Dilectum Nobis in Christo Perillrem ac Adm Rndum Joannem Casimirum Bokon Diœcesis Poſnaniensis, Canonicum Cracoviensem et Varſavienſem ad Ordinem Subdiaconatus promovimus et Ordinavimus, illumque per Nos promotum et Ordinatum eſse hiſce præsentibus, quas in majorem Fidem manu Nostra subscripsimus, et Sigillo Noſtro communiri juſsimus, atteſtamur. Dabantur Varſaviæ Ao, Mense, Die ut Supra.

Nicolaus Eppus Livoniæ et Piltinensis mpp

Zb. autogr. I

T I M O T H E U S

N A Ł Ę C Z

Ă GORZEŇ GORZEŇSKI

DEI & Apoſtolicæ Sedis Gratia Episcopus Smolenscensis Ordinum Aquilæ Albæ & Sancti Stanislai Eques.

Univerſis & Singulis Notum facimus præsentes literas Manu Noſtrâ subscriptas & Sigillô propriô munitas inſpecturis & lecturis. Quia Nos Annô Domini Millesimô Septingentesimô Nonagesimo Secundo Sabbatho Quatuor temporum Quæ fuit dies 2. Mensis Junij intra Tempora Divina ope Adjuti, infra Miſsarum Solemnia in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dilectum Nobis in CHRISTO. V: Adalbertum Jacobi Chwastkiewicz per Examen idoneum & habilem repertum, ad Ordines Quatuor minores et primam tonsuram rite promovimus, & ordinavimus. sicque à Nobis promotum ac Ordinatum teſtamur. Datum Cracoviae Anno & Die ut Supra

Timotheus Episcopus

Ib. autogr. !

Michael Soltyk Ecclesiæ Cathedralis Cracoviens
Decanus Ordinum Aquilæ et S. Stanislai Eques.

Reverendis, ac Venerabilibus Viris, Vicariisque Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis, cæterisque Presbyteris, et Ministris ad Quos Introductio, et Installatio Vicario„
rum Ecclesiæ Ejusdem de Jure, et Consuetudine spectat, et pertinet tenore præsentium requirendis salutem in Domino. Noveritis quia Nos ad Vi„
cariatum perpetuum Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis in Choro dextro Fundi Posadzka dicti vacantis Reverendum Dominum Adalber„
tum Chwostkiewicz Minorum Ordinum Clericum per Perillustrem, et Reverendissimum Dominum Paulum Olechowski Ecclesiæ Ca„
thedralis Canonicum, ac dicti Vicariatus legitimum Patronum, et Collatorem præsentatum recepta prius ab ipso juxta præscriptum S.
Concilii Tridentini Bullæ Pii IV et Consuetudinem Synodalium super Catholicæ Fidei Professione tum quoque de Obedientia et Reverentia
Illustrissimo et Reverendissimis Dominis Loci Ordinario et Decano Crac. Tunc et pro Tempore existentibus deque non alienandis prædicti
Vicariatus Bonis, quinimo alienatis pro posse recuperandis solito corporali Juramento per Manus nostræ Capiti Ipsius Impositionem
Authoritate Decanali instituendum, ac investiendum esse duximus, uti quidem instituimus ac investivimus, Curam Animarum Admi„
nistrationem Spiritualium, et regimen temporalium Rerum Ejusdem Vicariatus ipsi committendo in Dei Nomine per præsentes Man„
dantes Vobis suprascriptis executt: sub Excommunicationis pœna quatenus dum, et postquam pro parte præfati Instituti Nostri vigore
præsen. fueritis requisiti seu alter Vestrum fuerit requisitus ipsum in et ad realem actualem, et Corporalem dicti Vicariatus Illiusque
Jurium, et pertinentiarum omnium possessionem inducatis ponatis, et recipiatis, Stallum in Choro, Vocem in Capitulo assignetis. Facien„
tes Ipsi de omnibus et singulis Illius Fructibus, Proventibus, Redditibus, Decimis, ac Emolumentis universis ad memoratum Vicariatum spe„
ctan. et pertinen. responderi, et vos ipsi quantum in Vobis est respondeatis. In Quorum Fidem Datt: Crac. A. D. 1802 Die 1a Aprilis.

Michael Soltyk Decanus Cath: Cracoviensis E.O. Al. et S.S.

Fecit Professionem Fidei et juravit

Testor Gr. Brudzinski Apostolicus
Notarius

96. octob. 1

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Secundo Die Septima Aprilis. Ego infra scriptus Venerabilem Domi-
num Adalbertum Chwostkiewicz Majorum Ordinum Subdiaconum ad Fundum Bigdzka dicti perpetui Vicariatus
Ecclesiae Cathlis Cracovien: intro Descriptus introduxi, Possessionem Realem et Actualem Eidem tradidi Stallum in Choro
extro assignavi, Vocem in Capitulo Vicariali concessi, de Proventibus dictum Vicariatum concernentibus informavi, Prae-
ntibus Adm Rndis Dnis Josepho Foltzyn Nicolao Fitowski, Francisco Chrzchronski, Vicariis Vincentio Kopanski Bal-
terista Adamo Romer Ministro, Francisco Kretzer Cantore Ecclesiae Cathlis Crac: et aliis ad hunc Actum plurimmis con-
gregatis de quo fidem facio. — Franciscus Ceypler Ecclesiae Cathlis Cracovien: Vice Decanus mpp

IOSEPHUS OLECHOWSKI

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS URANOPOLITANUS, SUFFRAGANEUS & ARCHIDIACONUS CATHEDRALIS CRACOVIENSIS, INSIGNIS COLLEGIATÆ SANDOMIRIENSIS CUSTOS, ORDINIS S. STANISLAI EQUES.

Sede Vacante Eppatus & Dioecesis Crac. administrator Gnalis

Universis & Singulis, præsentes Literas Manu Nostra subscriptas, ac Sigillo communitas inspecturis & lecturis notum facimus & attestamur. Quia Nos Divina ope adjuti Anno Domini 1802. Die 3a Mensis Aprilis intra Tempora in Oratorio Semin: Stradom: vigore Facultatum Nobis pro Diæceſi Cracoviensi conceſsarum intra Miſsarum Solemnia promovimus & ordinavimus ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem per examen habilem & idoneum repertum. Dilectum Nobis in Christo Vblem Adalbertum Jacobi Chwostkiewicz ad Titt Vicariatus Sulec in Proszowice

Josephus Eppus mpp

Zb. autogr. I

TIMOTHEUS

NAŁĘCZ

Á GORZEŃ GORZEŃSKI

MISERATIONE DIVINA AC SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS SMOLENSCENSIS.

Universis & singulis notum facimus præsentes Literas Manu Nostra subscriptas & Sigillo proprio munitas, inspecturis, & lecturis. Quia nos Anno Domini 1802 Quæ fuit Dies 19o Mensis Junii intra —— tempora Divina ope adjuti, infra Miſsarum Solemnia in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi —— juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Dilectum nobis in Chriſto Venerabilem Adalbertum Jacobi Chwostkiewicz Ds sup. Interstitiis per Examen idoneum, & habilem repertum, ad Ordinem Sri Presbyteratus rite promovimus, & ordinavimus, sicque à Nobis promotum ac Ordinatum testamur. Datum Cracoviæ Anno & Die ut Supra.

Timotheus Episcopus

Joannes Juncili
Secretarius

Ib. autogr. I

112

JOSEPHUS OLECHOWSKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS URANOPOLITANUS, SUFFRAGANEUS, ARCHIDIACONUS CATHEDRALIS, SEDE VACANTE EPISCOPATUS ET DIÆCESIS CRACOVIENSIS

ADMINISTRATOR GENERALIS, ORDINIS S. STANISLAI EQUES.

Adm Rndis Præpositis, Parochis, Commendarijs, Vicarijs, Mansionarijs, Altaristis, Psalteristis, Præbendarijs Ecclesiarum quarumvis, signanter verò Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Salutem in Dno. Noveritis: Quia Nos de Psalteria Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis post assecutionem Beneficij Curati in Polaniec per Adnelum Joannem Zawisz illius immediatum Possessorem vacante Rndo Adalberto Chwastkiewicz ejusdem Eccl.æ Cathlis Vicario vigore turni & juris alternativi cum Rndsmo Capitulo Cathli Cracovien. Sedi Ordinariæ Cracovien. competentis, nunc pro eadem incidentis providendum, illam Ei conferendum, ac Ipsum ad eam instituendum esse duximus, uti quidem recepto ab Ipso juxta Præscripta S. Concil. Tridenti Bullæ Pij Papæ IV & Constitut. Provincial. super Catholica Fidei Professione, tumque de obedientia & reverentia Nobis & Illmo Loci Ordinario Cracov. pro tempore existenti præstanda, deque non alienandis dictæ Psalteriæ Bonis, quinimo alienatis pro posse & nosse recuperandis solito Corporali Juramento /: præ=

=habito ad id consensu Excelsi Gubernij mediante Decreto de
Julij an: curr: N^ro 27023. concesso:) per manus Nostræ Capiti Ejus
impositionem Authoritate Nostra Ordinaria providimus, con=
=tulimus & instituimus per præsentes. Mandantes Vobis Exe=
=cutoribus suprascriptis, quatenus dum & postquam aliquis Vestrum
pro parte moderni Provisi Nostri tenore præsentium requisitus fue=
=rit, Ipsum ad dictam Psalteriam servatis servandis introducat. Fa=
=ciendo Ipsi de omnibus fructibus, redditibus & quibusvis ejusdem
Psalteriæ emolumentis plenarie respondere. In quorum fidem &c.

Datum Cracoviæ die 9na Augusti. 1804.

Josephus Olechowski Suffrag.
Administrator Cracovien.
mpp

Fecit Professionem Fidei et juravit
Ita testor
Valentinus Janikowski Canus Vielicen.
Consistorij Gnlis Cracov. Secretarius
m.p.

26. autogr. I

Anno quo intus Die vero Dominico 10. Men
sis Septembris. Ego Gaspar Brudzinski
ViceCustos Cathlis Crac. tum Collegii
Adm Rndor Valtenistanum Senior
tenore praesentium requisitus R. R.
Adalbertum Chwastkiewicz Vicarium
ejusdem Eccle Cathlis ad Capellam
Valtenstarum dictam introduxi, immisi,
ac omnia quae intus mandantur fideliter
executus sum, Ipso introducto de pacifi
ca possessione protestante. Praesentibus
Adm Rndis Bernardo Bytner, Andrea
Smolenski, Caetano Lychlinski, Josepho
Josepho Piotrowski
Szprowczyski Valtenstis, Laurentio
Vrab Mansionario Testibus, ac aliis
pro tunc congregatis fide dignis. In quo
rum fidem me manu propria subscribo

Gaspar Brudzinski
m. p.

269.   114

ANDREAS
RAWA
GAWRONSKI

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS CRACOVIENSIS, SACRATISSIMÆ CÆSAREO-REGIÆ MAJESTATIS CONSILIARIUS INTIMUS.

Adm Rndo Adalberto Chwastkiewicz
Ecclesiæ Cathedralis Crac. Vicario

Diæceſis Noſtræ Cracovienſis, Nobis in Chriſto Dilect: Salutem in Domino.

Saluti Animarum pretiosissimo Sanguine Domini JESU Chriſti redemptarum, quantum in Domino possumus consulere cupientes, ut liceat Tibi per examen idone repert utriusque sexus Chriſti fidelium quovis Anni tempore, non tamen Monialium, & citra præjudicium alterius Parochiæ; Confessiones audire, eosque á peccatis & delictis eorum, quæ Tibi corde contriti, & ore confeſsi fuerint, etiam in casibus blasphemiæ, Sacrosanctæ Euchariſtiæ, vel sacrarum Reliquiarum abusûs, sortilegii, divinationis, violationis Ecclesiæ, vel Cæmeterii, homicidii casualis, ex culpa præcedente, vel datâ operâ rei illicitæ, membri principalis mutilationis, percussionis Parentum, machinationis in mortem alterius Conjugum, oppressionis propriæ prolis, etiam ex temeraria in eodem lecto collocatione, adulterii notorii, stupri per vim illati, incæſtus, raptus, sceleris nefandi contra naturam, & in materia furti, ac incontinentiæ, sacrilegii, aliorumque graviorum criminum, uti perjurii publici, falsi teſtimonii, libelli famosi; falsificationis Literarum magni momenti, monetæ, & mensuræ communis, famulationis continuæ Judæis, violationis Feſtorum per operarios diurnos, dum iisdem Judæis operas locant, emptionis superſtitiosæ ab iisdem Judæis cum pacto retrovendendi certis diebus, domorum propinationis, rerum, & supellectilis judaicæ, ac cæterorum Sedi Noſtræ Ordinariæ, tàm de Jure communi; quám consuetudine reservatorum, quorum specialis descriptio in Conſtitutionibus Provincialibus *Lib. 4 Tit. de Pœnit: & remiſs:* & in Reformationibus Generalibus Synodi Szyszkovianæ *Cap: XXV.* continetur (*Omnibus tamen delictis Papæ, Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, uti. Simoniacis, tum illis, qui suos Complices in quolibet contra sextum Decalogi Præceptum peccato, extra periculum mortis absolvere ausi fuerint, ac aliis, quibusvis casibus, Papalibus, quomodolibet reservatis, nec non homicidio voluntario; procuratione abortus, etiam non secuto effectu; crimine incendiariorum, & commiscentibus se carnaliter Judæis, maribus vel fœminis, Sedi Noſtræ Ordinariæ specialiter reservatis duntaxat exceptis*) in forma Ecclesiæ consueta absolvere, Absolutionisque beneficium in foro conscientiæ injunctâ illis prius, pro modo culpæ pœnitentiâ salutari, Tibi benè visâ impendere, Authoritate Noſtra Ordinaria facultatem damus, & concedimus, Præsentibus Literis Noſtris, hinc ad decursum trium annorum tantum valituris. Super quibus omnibus conscientiam Tuam oneramus. In quorum fidem &c. Datum Cracoviæ — Die 26 Mensis Maji Anno Domini 1809

Cui supra datur licentia Opis petendi debitum asciscum Pœnitentibus quis restituendi, eodemque ab omnibus casibus Papæ Sae Sedi Aplicæ tum Hæresi Apostasia & Schismate complicibus in utroque foro, nec non Sedi Ordriæ quomodolibet reservatis absolvendi, de auctte tam Delegata Aplica quam Ordria respective ad quem supra decursum valitura

Andreas Episcopus m.p.

Zb. autogr. I

130.

115

Andreas Rawa Gawronski, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Cracoviensis.

Adm Rndo Adalberto Chwastkiewicz, Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis Psalteristae. Salutem in Domino. Ecclesiam Parochialem in Raciborowice, post abjudicationem ab eadem Ecclesia A. Rndi Stanislai Bleszynski, illius ultimi et immediati Possessoris vacantem, nè ob carentiam sui legitimi Rectoris debitis frustretur obsequijs, Populusque jure Parochiae eidem subjectus commodis Spiritualibus et receptione Sacramentorum destituatur, Tibi commitendam et commendandam esse duximus, uti quidem revocata priori Commenda in Personam Illustris Adm Rndi Joannis Drüll, Decani Wawrzenczycensis, in Igolomia Curati, jam alias primis Mensis praeteriti Maji No. 150. emanata, Authoritate Nostra Ordinaria in Spiritualibus Tibi committimus et commendamus per praesentes, ad Canonicam futuri Parochi institutionem et introductionem, seu Arbitrium Officij Nostri valituras. Hortantes Te salubriter in Domino, ut in hoc munere ita Te vigilem et operosum exhibere studeas, quatenus de commissis condignam reddere valeas rationem. Insinuantes praeterea Tibi, quatenus ratione Temporalium, tum ratione conficiendi et describendi Inventarij, seu fundi instructi commendati Tibi nunc Beneficij, ad Inclytam Sub-Praefecturam Loci, Te convertas. In quorum fidem. Datum Cracoviae. Die decima sexta Mensis Junij. Anno Domini 1812.

Franciscus Zglenicki Vicarius Glis

Parochia

26. autogr. I

116

N. 54.

JOANNES PAULUS

WORONICZ,

NOMINATUS EPISCOPUS

ABBAS COMMENDATARIUS LENDENSIS, EPISCOPATUS ET DIOECESIS CRACOVIENSIS ADMINISTRATOR GENERALIS.

Ordinis S. Stanislai

1. Classis Eques

Admodum Rndo Adalberto Chwastkiewicz in Raciborowice Curato

Diœceſis Noſtræ Cracovienſis, Nobis in Christo Dilecto Salutem in Domino.

Saluti Animarum pretioſiſsimo Sanguine Domini JESU Christi redemptarum, quantum in Domino poſsumus conſulere cupientes, ut liceat Tibi per examen idoneo reperto utriusquê sexûs Christi fidelium quovis Anni tempore, non tamen Monialium, et citra præjudicium alterius Parochiæ; Confeſsiones audire, eosque à peccatis et delictis eorum, quæ Tibi corde contriti, et ore confeſsi fuerint, etiam in casibus blasphemiæ; Sacroſanctæ Eucharistiæ, vel sacrarum Reliquiarum abuſûs, sortilegii, divinationis, violationis Eccleſiæ, vel Cæmeterii, homicidii casualis, ex culpa præcedente, vel datâ operâ rei illicitæ, membri principalis mutilationis, percuſsionis Parentum, machinationis in mortem alterius Conjugum: oppreſsionis propriæ prolis, etiam ex temeraria in eodem lecto collocatione, adulterii notorii, stupri per vim illati, incæstus, raptus, sceleris nefandi contra naturam, et in materia furti, ac incontinentiæ, sacrilegii, aliorumque graviorum criminum, uti perjurii publici, falsi testimonii, libelli famosi, falsificationis Literarum magni momenti, monetæ, et menſuræ communis, famulationis continuæ Judæis, violationis Festorum per operarios diurnos, dum iisdem Judæis operas locant, emptionis superstitiosa ab iisdem Judæis cum pacto retrovendendi certis diebus, domorum propinationis, rerum, et supellectilis judaicæ, ac cæterorum Sedi Noſtræ Ordinariæ, tám de Jure communi, quám conſuetudine reservatorum, quorum specialis deſcriptio in Conſtitutionibus Provincialibus *Lib.* 4. *Tit. de Pœnit. et remiſs.* et in Reformationibus Generalibus Synodi Szyszkovianæ *Cap. XXV.* continetur: (*Omnibus tamen delictis Papæ, Sanctæ Sedi Apostolicæ, uti Simoniacis, tum illis, qui suos Complices in quolibet contra sextum Decalogi Præceptum peccato, extra periculum mortis absolvere auſi fuerint, ac aliis, quibusvis casibus, Papalibus, quomodolibet reservatis, nec non homicidio voluntario; procuratione abortus, etiam non secuto effectu; crimine incendiariorum; et commiſcentibus se carnaliter Judæis, maribus vel fœminis, Sedi Noſtræ Ordinariæ specialiter reservatis duntaxat exceptis*) in forma Eccleſiæ conſueta abſolvere, Abſolutionisque beneficium in foro conſcientiæ injunctâ illis prius, pro modo culpæ pœnitentiâ salutari, Tibi benè visâ impendere, Authoritate Noſtra Ordinaria facultatem damus et concedimus, Præſentibus Literis Noſtris, hinc ad decurſum Unius Anni tantum valituris. Super quibus omnibus conſcientiam Tuam oneramus. In quorum fidem &c. Datum Cracoviæ Die 13 Menſis Februarii Anno Domini 1816

Franciscus Zglenicki Schol.

Cathlis Crac. Locum tenens

Zb: autogr. !

117

Nro 439 grat.

Carolus Vincentius Sarius
SKORKOWSKI
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS CRACOVIENSIS
SENATOR REGNI POLONIAE ORDINIS SANCTI STANISLAI EQUES.

A Rndo Adalberto Chwastkiewicz Ecclesiae Parochialis in Raciborowice Curato

Dioecesis Nostrae Cracoviensis, Nobis in Christo Dilecto, Salutem in Domino.

Saluti Animarum, praetiosissimo Sanguine Domini Nostri Jesu Christi redemptarum, quantum in Domino possumus consulere cupientes, ut liceat Tibi per examen idoneo reperto, utriusque Sexus Christi Fidelium, quovis anni tempore, non tamen Monialium et citra praejudicium alterius Parochiae, Confessiones excipere, eosque imposita salutari et convenienti poenitentia, a peccatis, tam S. Sedi Aplicae, quam Nostrae Ordinariae quomodolibet reservatis, exceptis duntaxat delictis inferius specificatis, a quibus absolutionem Nobis reservamus, absolvere, nec non moribundis Jndulgentiam plenariam a Sanctissimo Domino Pio VII. pro Constitutis in articulo mortis concessam impertiri possis et valeas, Authoritate Aplica Nobis concessa et Nostra Ordinaria respective plenam damus et concedimus facultatem per praesentes ad decursum Unius Anni — duraturam; cum hac tamen gravi admonitione, ut antequam hoc Jnstrumentum Approbationis Tibi suffragetur, sequentes Jnstructiones accurate et fideliter observes.

Jnstructiones pro Confessariis.

1mo Triplex Confessarii Officium, Judicis scilicet, Doctoris et Medici, rite et secundum totam latitudinem suam scrutare, probeque expende, si vel unum ex iis aut neglexeris prorsus, aut non nisi perfunctorie et segnius obieris, Te concredito Tibi Dispensationis Ministerio haud fideliter, prout decet Ministrum Christi, praeesse.

2do Ut Judicis Officio rite fungaris, ea Te scientia ac prudentia instructum esse oportet, qua et peccatum a peccato secernere, et statum seu dispositionem poenitentis dignoscere valeas.

3tio Ad discernenda peccata, uti dijucandam legum et praeceptorum gravitatem atque obligationem, caeteraque omnia huc spectantia solidis principiis utere, quae ex Sacris Literis, Conciliorum Canonibus, Decretis Pontificum, Patrumque Doctrina, tanquam genuinis Evangeliae Moralis fontibus, assiduo studio hauseris.

4. Non

4^to^ Non ignores casus Summo Pontifici reservatos, quales sunt prater specificatos in Rituali Provinciali *parte prima* Simoniaci, Absolventes extra mortis periculum suos Complices contra sextum Decalogi praeceptum peccato; solicitantes ad turpia in Sacris Confessionibus, aggregati secretis societatibus Liberorum Murariorum, Carbonariorum, aut alio quocunque nomine appellatis, et alii, quorum exactam notitiam ex supracitato Rituali ac Theologis acquirere satagas, et occurrente tali casu ad Nos vel Consistorium Nostrum facultatem absolvendi quaesiturus, recurras. Pari ratione firma memoria tene, casus in hac Dioecesi Nobis reservatos 1. Homicidium voluntarium, et consilium, mandatum, vel auxilium ad illud dantes. 2. Procuratio abortûs etiam non secuto effectu. 3. Crimen incendiariorum. 4. Famulatus Judaeis ex contractu annuo vel quasi annuo, aut etiam ex pacto constanti inserviendi iisdem Judaeis, statis temporibus.— A quibus peccatis extra periculum mortis, nisi specialem habueris facultatem, absolvere non potes.

5^to^ Jn disquirendo statu poenitentis curiosa vel inutilia nec quaeras, nec Tibi obtrudi patiaris; multo minus talia, quae proximo injuriosa forent. Statum poenitentis solicite indaga, non nomen ejusdem aut Complicis.

6^to^ Jn materia castitati contraria summopere caveto, ne indiscretis interrogationibus Paenitentem scandalises; juvabit hujusmodi examine a levioribus sensim ad graviora ascendere, praestabitque unam vel alteram circumstantiam ignorare, ac lubricum Paenitentem pejora, quae forte nescivit, docere.

7^mo^ Signa dispositionis ex praeceptis Ecclesiae et Disciplinae paenitentialis regulis curate observa atque secundum has caute procede. Hinc *a)* non absolvas confitentes, qui nulla doloris signa demonstrant; nec etiam eos, qui peccatum vel peccati occasionem proximam deserere nolunt. *b)* Extra casum mortis, differ absolutionis beneficium iis, qui sunt in consuetitudine alicujus peccati mortalis, donec certa emendationis signa appereant. *c)* Jis omnibus qui sunt in occasione proxima peccati denega absolutionem, usque dum occasionem re ipsa deseruerint. *d)* Non absolvas, nisi restitutione facta, eos, qui cum praecedenti vel praecedentibus Confessionibus id promiserint, non tamen praestiterunt, quamvis potuerint. etc.

8^vo^ Doctoris Officio in Confessionali fungens, erudire debes et hortari paenitentem.

9^no^ Si quos Paenitentes rudiores inveneris, eos vel ipse in necessariis prius instrue; vel ad Catecheses remitte, eisque obligationem Conciones et Catecheses deinceps cum majori, ac forte hactenus factum erat, assiduitate frequentandi, serio inculca.

10^mo^ Nullum Paenitentem absque salutari monito, prout Spiritus et prudentia suggesserint, dimitte, atque hunc in finem libros asceticos, eorumque energicas praecipue sententias Tibi Jpsi familiares redde.

11^mo^ Confessarium ut medicum remedia peccatis praescribere et Sacramentalem injungere satisfactionem oportet.

12^mo^ Jn praescribendis peccatorum remediis, hac methodo utere, ut in radices peccati indages primum; dein non promiscua, sed congrua remedia praescribas.

13^mo^ Satisfactio, quam imponis, sit conveniens gravitati criminum, et Paenitentium conditioni ac facultatibus; non tantum directa ad novae vitae remedium, sed etiam ad praeteritorum vindictam.

14^to^ Caeterum, cum in tribunali Paenitentiae Minister sis Dei, Ejusque, non hominis, Judicium exercens; ad illud nunquam te accingas, nisi praemissa brevi Oratione pro lumine et gratia Divina obtinenda.

15^to^ Ea item conscientiae puritate, Animarum zelo, pietate, quae tantum Ministerium decent, accede; prompto pariter ac parato sis animo, neque verbis aut signo ullo ostendas, Te aegre gravatoque animo quemdam paenitentem excipere.

16^to^ Ad Sedem Confessionalem accedens, indutus sis veste talari, superpelliceo et Stola regulariter violacei coloris; nisi temporis ratio aliter ferat.

17^mo^ Extra Ecclesiam Confessiones non audi, nisi ex causa necessaria vel rationabili; mulierum vero, nisi surditate gravi laborent, non nisi in Confessionali crate interposita excipias.

18^vo^ Cave ne familiaris sis faeminis Tibi confitentibus; imo eô ipsô quod easdem audís in Confessione, scias Tibi ab earundem familiaritate peculiariter esse abstinendum.—

19. Quod si ad infirmum vocatus, Confessionem ejus exceperis, proprium ejus Parochum desuper certiorem reddas.

20. Jura

20. Jura et obligationes Sigilli Sacramentalis, cave ne quovis modo directo aut indirecto frangas, atque ita salubre hoc paenitentiae lavacrum odiosum reddas.

21. Uberiorem notitiam obligationum Confessarii ex Libris, quales sunt = S. *Caroli Borromaei* Jnstructiones Pastorum, Augustae Vindelicorum 1762. tum Monita Generalia de Officiis Confessarii pro utilitate Dioecesis Nostrae Cracoviensis reimpressa Cracoviae 1753, nec non Brevis et Methodica Jnstructio audiendarum Confessionum per Hieronymum Powodovium Archipresbyterum Cracoviae, Canonicum Gnesnensem, et Posnaniensem Cracoviae 1586. secundo edita, disce.

22. Quovis anno ad fovendum et recolligendum Spiritum, per quinque dies in Seminario, vel vicino Monasterio, Sacras Recollectiones, ac Examen ex Theologia coram Decano Loci aut alio Examinatore Dioecesano, absolve, testimoniaque desuper fine prorogandae praesentis Facultatis in Cancellaria Consistorii Nostri ostende; post cujus expirium, excipere Confessiones extra periculum mortis non praesumas, sed novam prorogationem approbationis Tibi procures.

23. Denique non quae Tua sunt, quaeras, sed quae Jesu Christi, cui magis quam hominibus placere studeas; quantamque tanti muneris rationem Deo aliquando redditurus, ac quale solatium ex animarum lucro recepturus sis, summopere expende.

Datum Cracoviae die 8. Junii 1830 Anno.

Cui supra datur facultas Paramenta Ecclesiastica in quibus S. non intervenit Unctio benedicendi, jus petendi debitum amissum poenitentibus suis restituendi, eosdemque ab Haeresi, apostasia a fide et Schismate, nec non omnibus Nobis quomodolibet reservatis absolvendi, idque authoritate tamen delegata Aplica, quam Nostra Oria, ad quem supra decursum valitura.

Joachymus Jantowski Custos Cath. Vicarius in Spirit. Officialis Gen. Crac. Capit.

Zb. autopr. I

119

Nro 1163

Carolus Vincentius Sarius SKORKOWSKI

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS CRACOVIENSIS

SENATOR REGNI POLONIAE

ORDINIS SANCTI STANISLAI EQUES.

Adm. Rndo Adalberto Chwatkiewicz Ecclae Parlis in Rambarowice Curato

Dioecesis Nostrae Cracoviensis, Nobis in Christo Dilecto, Salutem in Domino.

Saluti Animarum, praetiosissimo Sanguine Domini Nostri Jesu Christi redemptarum, quantum in Domino possumus consulere cupientes, ut liceat tibi per examen idoneo reperto, utriusque Sexus Christi Fidelium, quovis anni tempore, non tamen Monialium et citra praejudicium alterius Parochiae, Confessiones excipere, eosque imposita salutari et convenienti poenitentia, a peccatis, tam S. Sedi Aplicae, quam Nostrae Ordinariae quomodolibet reservatis, exceptis duntaxat delictis inferius specificatis, a quibus absolutionem Nobis reservamus, absolvere, nec non moribundis Jndulgentiam plenariam a Sanctissimo Domino Pio VIII pro Constitutis in articulo mortis concessam impertiri possis et valeas, Authoritate Aplica Nobis concessa et Nostra Ordinaria respective plenam damus et concedimus facultatem per praesentes ad decursum Unius Anni duraturam; cum hac tamen gravi admonitione, ut antequam hoc Jnstrumentum Approbationis Tibi suffragetur, sequentes Jnstructiones accurate et fideliter observes.

Jnstructiones pro Confessariis.

1mo Triplex Confessarii Officium, Judicis scilicet, Doctoris et Medici, rite et secundum totam latitudinem suam scrutare, probeque expende, si vel unum ex iis aut neglexeris prorsus, aut non nisi perfunctorie et segnius obieris, Te concredito Tibi Dispensationis Ministerio haud fideliter, prout decet Ministrum Christi, praeesse.

2do Ut Judicis Officio rite fungaris, ea Te scientia ac prudentia instructum esse oportet, qua et peccatum a peccato secernere, et statum seu dispositionem poenitentis dignoscere valeas.

3tio Ad discernenda peccata, uti dijucandam legum et praeceptorum gravitatem atque obligationem, caeteraque omnia huc spectantia solidis principiis utere, quae ex Sacris Literis, Conciliorum Canonibus, Decretis Pontificum, Patrumque Doctrina, tanquam genuinis Evangeliae Moralis fontibus, assiduo studio hauseris.

4. Non

4^to^ Non ignores casus Summo Pontifici reservatos, quales sunt prater specificatos in Rituali Provinciali *parte prima* Simoniaci, Absolventes extra mortis periculum suos Complices contra sextum Decalogi praeceptum peccato; solicitantes ad turpia in Sacris Confessionibus, aggregati secretis societatibus Liberorum Murariorum, Carbonariorum, aut alio quocunque nomine appellatis, et alii, quorum exactam notitiam ex supracitato Rituali ac Theologis acquirere satagas, et occurrente tali casu ad Nos vel Consistorium Nostrum facultatem absolvendi quaesiturus, recurras. Pari ratione firma memoria tene, casus in hac Dioecesi Nobis reservatos 1. Homicidium voluntarium, et consilium, mandatum, vel auxilium ad illud dantes. 2. Procuratio abortûs etiam non secuto effectu. 3. Crimen incendiariorum. 4. Famulatus Judaeis ex contractu annuo vel quasi annuo, aut etiam ex pacto constanti inserviendi iisdem Judaeis, statis temporibus. — A quibus peccatis extra periculum mortis, nisi specialem habueris facultatem, absolvere non potes.

5^to^ Jn disquirendo statu poenitentis curiosa vel inutilia nec quaeras, nec Tibi obtrudi patiaris; multo minus talia, quae proximo injuriosa forent. Statum poenitentis solicite indaga, non nomen ejusdem aut Complicis.

6^to^ Jn materia castitati contraria summopere caveto, ne indiscretis interrogationibus Paenitentem scandalises; juvabit hujusmodi examine a levioribus sensim ad graviora ascendere, praestabitque unam vel alteram circumstantiam ignorare, ac lubricum Paenitentem pejora, quae forte nescivit, docere.

7^mo^ Signa dispositionis ex praeceptis Ecclesiae et Disciplinae paenitentialis regulis curate observa atque secundum has caute procede. Hinc *a)* non absolvas confitentes, qui nulla doloris signa demonstrant; nec etiam eos, qui peccatum vel peccati occasionem proximam deserere nolunt. *b)* Extra casum mortis, differ absolutionis beneficium iis, qui sunt in consuetitudine alicujus peccati mortalis, donec certa emendationis signa appereant. *c)* Jis omnibus qui sunt in occasione proxima peccati denega absolutionem, usque dum occasionem re ipsa deseruerint. *d)* Non absolvas, nisi restitutione facta, eos, qui cum praecedenti vel praecedentibus Confessionibus id promiserint, non tamen praestiterunt, quamvis potuerint. etc.

8^vo^ Doctoris Officio in Confessionali fungens, erudire debes et hortari paenitentem.

